

P V I S



1 6 0 5



CARMEN EPICEDION  
RECITATVM PVB-  
LICE IN SCHOLA VVITEBER-  
GENSI, ALLATO NVNCIO DE  
MORTE DN. HIERONYMI BOM-  
GARTNERI VIRI CL. ET IN REP. NORIBERGEN-  
si præcipui, & pietate, virtute, sapientia, doctrina  
præstantissimi, Patriæq; amantissimi. Qui IIII  
Id. Decembris, Anno Christi M. D. LXV.

Noribergæ luctuosissimo ciuitati  
vniuersæ funere elat-  
tus est.

CVI SVMMO VIRO, DE PA-  
tria, pietatis atq; literarum studijs præ-  
clariss: merito hoc modo parenta-  
bat gratus patriæ & pa-  
tri huius ciuis

do.

M. GEORGIVS MAVRICIVS  
NORIBERGENSIS.

Addita sunt & Epitaphia, & Monodia  
deplorans mortem defuncti, eodem  
Autore.

1566.

Duo laudes a Jfr.



# RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS MICA

EL TEVBER I. V. DOCTOR, ET PROFESSOR,  
OMNIBVS LECTVRIS. S. D.

**N**EMINIMUS omnes, quantum & quam ardens sinceræ Religionis studium, quantum veræ solidæq; doctrinæ ac sapientiæ, quantus quasi concentus virtutum & Politico & Christiano homini conuenientium, sed præcipue iusticiæ, moderationis ac beneficentie exornatarum gemmata quasi corona iusticiæ, fidei & bonæ conscientiæ, quantus deniq; fuerit amor erga patriam in Viro optimo & amplissimo HIERONYMO BOMGARTNERO, Quo nuper in patria è viuis sublato, cum annum ætatis excessisset septimum & sexagesimum, testati sunt communi luctu ciues urbis Noricæ se patrem patriæ: Respublica se ornamentum dignitatis ac præsidium stabilitatis suæ: Ecclesiæ se patronum & quasi nutritorem: Musæ se fauorem ac Mecænatem suum in ea Republica amisisse. Lugent ac deplorant interitum eius & nostræ Musæ, quas qui colunt in Academia nostra ex illa Repub: & vicinia magno numero, ij omnes cum gemitu ac dolore eum requirunt. Eli cum agnoscant debere se hanc gratitudinem pientissi-

A 2 mis

mis Manibus mortui, vt memoriam beneficiorum eius  
in se priuatim, in Ecclesias ac Rempub: carmine cele-  
bratam consecrent posteritati, Iusta ei hodierno die  
**HORA DVODECIMA** publicè persoluere decre-  
uerunt qualicunq; officio carminis, cuius munus est se-  
cundum Pindarum bene meritorum præclarè facta ca-  
nere atq; illustrare. Cum autem iactura ex interitu  
Virorum præstantium, quocunq; in loco illi sint, modò  
nobiscum communis patriæ, vel potius vnius veræ Ec-  
clesiæ societate, legibus, ac necessitudine coniuncti sint,  
Ex horum ergo interitu iactura cum ad Rempub. perti-  
neat, commoueri nos ac perturbari Reipublicæ caussa  
decet.

Hortamus ergo scholasticos nostros, vt propter  
tanti Viri memoriam conueniant in auditorio Collegij  
Maioris, & commonefacti exemplis pietatis, eruditio-  
nis, amoris erga patriam & Ecclesiam, industriæ, sa-  
cientiæ, iusticiæ, mansuetudinis, liberalitatis, quæ vi-  
ta eius proponit illustria atq; eximia, excitentur cùm  
ad studium imitationis, tūm ad vota precesq; funden-  
das ad Deum pro pijs & salutaribus principibus, qui  
non vnius loci, sed communi orbis Christiani Reipub.  
profundunt & benefaciunt, & consilia gubernationis simi-  
liter non ad priuata commoda, sed salutem publicam  
dirigunt atq; accommodant. Summa Viri laus  
est, quod sua ciuitas funus prosecuta hoc Encomio,  
Quod

Quod profuerit quibus potuit, nocuerit nemini, ita  
eum sepeluit, ut quanquam hoc Epitaphium tumulo  
lacrimis macerato, iteratæ & frequentatæ voces qua-  
si insculperint, ne tamen pulueribus desiccatae  
terre dissipetur, Vnusquisq; idem vero  
etiam gemitu planetuq; in suo pe-  
ctore obsignarit. PP. 20.  
Januarij Anno  
1566.



CLARISSIMIS ET  
ORNATISSIMIS VIRIS, PIETA-  
TE, ERUDITIONE, ET VIRTUTE  
PRÆSTANTIBVS, D. HIERONY-  
MO BOMGARTNERO Iuniori, Senatori,  
& Patricio Noribergensi, D. IOHANNI OL-  
HAFEN, & D. GABRIELI SCHLVS.  
SELBERGER, Patricijs Noriber-  
gensibus, Dominis & Patronis  
suis reuerenter colendis.

S. D.

**L**Itera scripta mihi patriæ de morte Parentis,  
Sæpius est lacrimis humida facta meis.  
Nec quicquam ad nostras hoc venit acerbius aures,  
Herentes studijs quos celer Albis habet.  
Optauit quoties, aut vanus nuncius iret,  
Aut illa hæc esset mors redimenda prece.  
Hei mihi, quas clades ex funere metior vno,  
O dolor, ô læsi tristia signa Dei.  
Hei patriæ columen, decus immortale Sororum,  
Patronus studijs occidit, atq; scholis.  
Vnus, consilijs patriæ qui restituit rem,  
Et qui Pieridum summus amicus erat.

In

In cuius labris Charites, Prudentia mente,  
Ingenius ninoe pectori candor erat.  
At veræ quantum fidei, recti<sup>q</sup>, boni<sup>q</sup>,  
Quamq<sup>z</sup> Dei illustris corde sedebat amor?  
Iure dolent igitur tantum decus vrbe remotum  
Compita, plebs, Patres, curia, templa, scholæ.  
Iure etiam sacræ fundunt suspiria Musæ,  
Et peragunt tanto debita Iusta Seni.  
Ergo ego, namq<sup>z</sup> Viri virtus, pietasq<sup>z</sup> merentur,  
Inferias illi carmina mæsta dedi.  
Munera mæsta quidem, caro sed debita Patri,  
Sic Musa in cineres officiosa mea est.  
Atq<sup>z</sup> vtinam viuo potius præstare dedissent  
Officium gratum fata benigna mihi.  
Certè ego nunc, feci quod & antè, paratus adirem  
Ad validas, Musa me comitante, fores.  
At quoniam fatis morbo superatus acuto  
Illustrem sancto flauit ab ore animam:  
Quòd possum, quem tunc habui pro numine viuum,  
Supremum officium carmine præsto meo.  
Cumq<sup>z</sup> pijs Musis lacrimis communibus vñus  
Hæc cineri sancto tristia dona tuli.  
Illaq<sup>z</sup>, Patroni, sint qualiacunq<sup>z</sup>, per auras  
Nominibus vestris, auspicijsq<sup>z</sup> dedi.  
Qui Soceri, Patrisq<sup>z</sup>, simul defletis acerba  
Fata, quibus Patriæ firma columna iacet.

Hæc

*Hæc ergò qua mente dedi , hac euoluite mente,  
Egregij id Manes, id pietasq; rogant.  
Ac dum plura canam, nam plura canenda supersunt,  
Autore incolumes viuite quisq; Deo.*

*V. Excell:*

*Studioſiſſ.*

*M. Georgius Mau-  
ricius Noriberg:*

IN OBITVM AM-  
PLISSIMI ET INCOMPARABIL-  
LIS VIRI, D. HIERONY-  
MI BOMGARTNERI.

SI quando luctus miseros, tristesq; dolores  
Atra dies Patriæ inuexit, quā flumine leni  
Artibus innumeris florentem interfecat urbem  
Pegnesus medio labens: Si fletibus vñquam  
Huic opus ante fuit: Nunc lamentabile tempus,  
Quo fidum Patriæ patrem, stabilemq; columnam  
Norigenū terris rapuere innitia fata,  
Ad lacrimas vocat, ad gemitus, suspiriaq; ægra.

At cui tanta animi vis est, Quæ talia fando  
Explicit? aut speret verbis æquare dolorem?  
Occidit hei (nec vana fides) Pater optimus urbis  
Ereptus fato, quem non modò Norica tellus  
Iactabat meritis, sed quem Germania tota  
Doctrinam ob variam, & veræ pietatis amorem,  
Atq; alias dotes insigni laude ferebat.  
Nec temerè, multis namq; hic præstantior ibat  
Ingenio, & multis varia præstantior arte.

Ceperat impuras doctrinæ abstergere labes  
Cœlestis, calamoq; potens & voce Lutherus,  
Pontificum fraudes, atq; impia sacra retexens,

B Cui

Cui fidum sese comitem, sociumq; laboris,  
Non virtute minor, cœlestiq; arte Melanthon  
Inixerat, & ceptum placido sub numine Diuum  
Assurgebat opus, confictaq; sacra ruebant:  
Cum præstans iuuenis se Bomgartnerus ab oris  
Fertilibus primùm Boiorum, ubi in artibus antè  
Prima rudimenta, & iuris de fontibus hausit,  
Extulit, & studio discendi feruidus Albim  
Aduenit, impulsus scriptis, famaq; Philippi,  
Huius enim toto iam tum volitabit in orbe  
Nomen, & ingentes tam paruo in corpore dotes.  
Miratur graue iudicium, miratur acumen  
Ingenij, atq; animi præstantia dona Melanthon.  
Vtq; fit, hos inter facile immutabile fædus  
Virtutis contraxit amor. Nam fulsit vtriq;  
Par animo pietas, fidei constantia, & ardor

Hic studio Legum sacrata volumina Vatum  
Adiunxit, magno cœli perculsus amore,  
Deditus & linguis tantum profecit, vt illi,  
Seu mallet quicquam Latio, seu fundere Graio  
Sermone, offerret par sese in vtroq; facultas.  
Vos testes, quibus vnus amor, quibus vna voluntas,  
Vnaq; mensa fuit, Camerari, & candide Maior,  
Qui forsan soli de tot superatis amicis.  
Has propter dotes animi non ille Philippo  
Carus erat solum, sed enim gratissimus idem

Luther

Lutherō, & reliquis quos Leucoris alma fouebat.

Tempore pōst modico Patriam reuocatus in vrbē,  
Consilio, & meritis adeò decorauit, vt vrbe

Hac ciuem dignum, patriamq; hoc ciue beatam  
Iactarent, omnesq; palam sermone referrent.

Illi auxilio manifesta à fraude Papatus  
Templa asserta Dei, Monachorum voce refellit  
Commenta ipse sua, victosq; excedere iussit  
Protinus æde sacra, magna cum laude: Per illum  
Nomen, honorq; suus redijt templisq; scholisq;

Ergo vbi conuentus habiti, Patresq; coacti  
Consilium inter se sacris de rebus habebant,  
Hunc ciues misere virum, Quod splendida virtus  
Illi, quod pietas, ac doctæ gratia linguae.

Idcirco patriæ munus vigilanter obibat  
Commissum studio flagranti, & pectore celso.  
Hinc adeò virtutem, & promptæ munera linguae  
Nobilitas mirata Viri est vt cernere solū  
Gauderet, dextræq; piæ coniungere dextras.  
Magnus habebatur cunctis, conuerterat ora  
In sepe Procerum, tanto cùm robore mentis  
Oraret caussas Fidei, mandataq; Patrum  
Intrepidus corām tanta cum laude referret.  
Sic ergò illius clarissima fama per orbem  
Sparsa fuit, magnumq; huius tum nomen vbiq;  
Terrarum, hunc omnes pariter super astra ferebant.

B 2 Sed

Sed velut humanis nulla est constantia rebus,  
Inuidit fortuna vrbī, quod fata dediſſent  
Tam celebrem pietate virum, & virtutibus auctum.  
Ergo struens illi exitium, nil tale merentem  
Cladibus implicuit multis, vbi captus ab hoste est  
Conuentu excedens, miserandum, ac mersus iniqua  
Sorte miser vitam in tenebris, & carcere cæco  
Afflictus traxit, fato vicinus acerbo.  
Hei caput indignum vinclis, venerandaq; cunctis,  
Et toties celebri doctorum ornata corona  
Cæsaries, duræ hei nimium, tristesq; catenæ.

Ingemuit lacrimans non tantum Norica tellus  
Amisso iam ciue suo, sed quicquid vbiq;  
Gentis erat, Papæ iam turpia sacra perosæ,  
Cum Rheno pariter Mænus, Nicer, Albis, Elister.  
Quos dedit ò gemitus? quæ fudit vota Lutherus,  
Cumq; illo iuncti, regio quos ista fouebat?  
Sacra peregerunt nunquam, non dogmata Plebi  
Exposuere vñquam, quin hic inclusus eorum  
Tum fuerit precibus. Sic vitæ, animæq; supremo  
Commendata salus Regi. Quin ipse Lutherus  
Cum Iona, atq; alijs, socioq; Melanthone crebra  
Vxori mæſtæ, atq; ipsi solatia capto  
Miserat, at nunquam hæc vidit solatia captus.  
Magna Dei tandem bonitas, & prouida cura  
Oſtendit ſeſe, qui nunquam ardentia vota

Reſpui

*Respsuit, aut surd a securus præterit aure.*

*Quem vis nulla hominum, quem nulla potentia nostræ*

*Cæsareæ minæ potuere ex carcere diro*

*Eripere : hunc tandem tenebris & carcere diro*

*Exemere adeò graue pondus habentia vota.*

*Sic ergò Patriam redit hic ereptus in urbem*

*Applausu populi tanto, tantaq; Senatus*

*Læticia, ut nemo quicquam hoc iucundius vñquam*

*Audierit factum. Latè loca cuncta feruntur*

*Oppleta ingenti turba, patriæq; parente*

*Læticia illacrimant viso, dehinc agmine magno*

*Deducunt læti, atq; domum comitantur ouantes.*

*Quis ego tum plausus vrbis ? quæ gaudia plebis*

*Audiui puer, hoc patrios subeunte penates?*

*Tempore iam ex illo cunctis hic maior baberi*

*Ordinibus, lætari omnes hoc sospite ciues,*

*Præsidium censere vrbis, mollemq; senectam*

*Optare, atq; Seni tardissima fata precari.*

*Docti etiam rapidas flauentis ad Albidos vndas*

*Gratari hunc reducem patriæ, squallore, situq;*

*Ereptum, ac posito tantorum fine malorum,*

*Imprimis Lutherus, At hæc quoq; gaudia rupit*

*Vnica lux, tristis toti Germanidos oræ,*

*Qua satur hinc annis fato concesserat idem.*

*Quas lacrimas fudisse putas, cum fama per aures*

*Mortis ijt tanti Vatis, qui primus in hostem*

B 3 Ausonium

Ausonium, & fictos cultus pia fulmina verbi  
Torsit, & excussit trifidam è ceruice coronam,  
Cui mundi imperia affixit, gazasq; potentes.

Funera Lutheri sequitur miserabile bellum  
Germanos inter proceres, magnoq; potentem  
Imperio Carolum, tandem qui Victor abibat.  
Succedunt bello mala multa, Ænigmata Spbyngis  
Caussa noui motus: Regum, procerumq; tumultus:  
Obsidio patriæ: lacerataq; fama Philippi  
A Stryge nocturna, Illyrico, qui turpibus ausis,  
Oppressis alijs, tentauit querere nomen.  
Hæc noster vidit Senior, magnog; dolore  
Turbari cætus ficto pietatis amore  
Aspexit, sed cuncta Deo per firuida vota  
Commendat, finem expectans, metasq; laborum.

Nec minus interea vigilans discrimina terris  
Auertit patrijs, ne quis se attolleret vltro,  
Qui scriptis, vociq; sacræ contrarius iret,  
Consilioq; suo, magniq; Melintonis usus.  
Testantur, quos voce sua conuicit, in vrbe  
Cum noua tentarent Osiandri spargere scita.

Cur r. q; odijs pleni, contemto hoc iudice, nondum  
Desinerent turbare animos, & fidere plebi,  
Protinus hic Patribus primis occurrere suafit  
Principijs, simul acciri rogat ille Philippum,  
Cunctorum assensu, qui lites, atq; tumultus

Ingenio

Ingenio dirimat, Venit hic comitatus amicis,  
Sopiuuitq; malum, & flamam restinxit euntem.  
Vidisses quanto tum Bomgartnerus honore  
Exciperet, quibus hunc votis dimitteret idem.  
Vidi, visa loquor, largas fundebat vterq;  
Cum votis lacrimas, postquam hunc, patriamq; Melan-  
Commendans, supremum illi valediceret, alter, (thon  
I decus, i sumnum columen sacri agminis, inquit,  
I venerande senex, Et quod venerabile verbum  
Ore sonas, perge incepto, tibi munera linguae,  
Inuictumq; animi robur Pater addat, & annos.  
Hic breuiter: Non vlla dies metalibus actis  
Dissimilem arguerit, Pro me modò vota, precesq;  
Funde, ego proq; tua, patriæq; salute vicissim  
Multa rogans Superos onerabo hunc æthera votis.  
Quod superest, nostræ non ullo definet æuo  
Fædus amicitiae, nec mors diuellet amicos,  
Quæq; fides nobis semper fuit, illa manebit  
Immota æternum. Perculsa mente dederunt  
Cuncti una lacrimas, testis Camerarius ingens  
Palladiæ fidus iam Duxq; Paterq; coronæ,  
Tum præsens audis qui vocem hanc auribus hanfit.  
Postremæ hæ voces vtriusq;, supraq; verba  
Inter amicorum nostri par nobile secli,  
Alteriusq; oculis post nunquam est redditus alter.  
Non tamē his animorum vñquam constantia cessit  
Mutua,

Mutua, sed scriptis certant, doctisq; tabellis,  
Inq; vicem sibimet mittunt solatia chartis,  
Pulchra, iunixa Dei verbis, dum mersus acerbo  
Funere, cum summo mærore, ac fletibus ægris  
Conspœctu eripitur nostro, sedesq; beatas  
Morte subit placida doctissimus ille Melanthon,  
Gloria Pieridum, studiorum Rector, & Auspex.

Ergò iterum in lacrimas mærore hic fractus acer-  
Vertitur, & tanti Senis hei miserabile fatum (bo  
Crebra gemit, tantoq; dolet discrimine verum  
Ereptum terris, Verbi impendente ruina.  
Quippe videt multos pacem, legesq; perosos,  
Distorto ingenio simul, & petulantibus ausis  
Moliri exitium doctrinæ, animamq; beatam  
Egregij mordere Viri, Ceu viderat antè  
Infandam rabiem, qua fex Flaciana cruentem  
Innocui Senis immani antè sitiuerat haustu,  
Quanquam ò, sed soluent meritas cum sanguine pœnas.  
Ergo negat Superis illam, cæloq; profectam,  
Iudicio insigni, rabidas quæ immanibus ausis  
Dura riget fauces epoto sanguine fratrum.  
Idcirkò & Patriæ iam seditiosa mouentem  
Consilia, indicio patefacta, & numine Diuum  
Reppulit inuictis animis, ac viribus Urbe,  
Ne quisquam, laus cælicolis pro munere tanto,  
Noridos infandum caput hinc extollat in oris.

Vnaq;

Vnaq; cura Seni est, pia templa, scholasq; tueri,  
Dissidijs expertemq; statum, ac pia reddere pacis  
Munera, ne quisquam cætus agitare quietos  
Posset, & accensus furijs, voluentibus annis  
Se fato erepto, noua spargere semina belli.

His ita perfectis summæ cum nomine famæ,  
Paulatim infirma vires minuente senecta  
Deficit, ac tandem morbo superatus, & annis  
Iam fractus, Sol nostræ vrbis cum Sole cadente  
Occidit, ingenti plebisq; patrumq; dolore,  
Egregiamq; animam media inter vota reliquit.  
Non secus, ac blandus qui se se erexerat alto  
Flos primum, & læto spectanti arriserat ore,  
Nunc iterum fessum, obscura seu nocte premente,  
Seu terras vrgente imbri, seu flamine duro,  
Demittit caput, herboso moriturus in agro.

Sic Mecænatem fidum, templisq; scholisq;  
Patronum egregium, patremq; amissimus vrbis,  
Quo nec iudicio vixit præstantior alter,  
Nec pietate adeò, nec verbo maior, & arte:  
Quem studijs Patrem genuit Natura, nec ulli  
Norigenum ingenium tribuit solertius vñquam.  
Quam poterat mira doctæ dulcedine linguae  
Effrenes mulcere animos, cum nescia flecti  
Corda viderentur, paucis hic lenijt iras.  
Et quoties vrbis spinosa negocia solus

C Expedijt

Expediit vigilans. Si quando aduersa vocabant  
Ardenti gemitu summi Rectoris Olympi  
Sedulus implorauit opem. Nam nouerat idem  
Consilium felix Supera de sede venire.  
Mente debinc alacri, cœli iam numine plenus,  
Sese operi demum accinxit. Sic omnia lætis  
Auspicijs cessere viro, quæcumq; fuissent.  
Hinc omnes certatim illum, populusq; patresq;  
Non ciuem, sed enim patriæ dixerunt parentem.

Hic vir, hic est, nostræ qui donec præfuit urbi  
Consilijs, tamen haud unquam se polluit ullo  
Crimine, quo pia mens, & pectora læsa fuissent,  
Id quod & ante obitum manifesta est voce professus.  
O ciuem egregium, atq; ætetnum vivere dignam  
Caniciem, quæ tam memorandam morte sub ipsa  
Emittit vocem, tanti solatia fati.  
O dignum ciuem, quem cuncti ex ordine ciues  
Extinctum plorent, & cuius amabile funus  
Condecorent lacrimis, ac mœsta voce salutent  
Postremum, & spargant violasq; rosasq; sepulchro.  
Fortunate Senex, tu nunc sublatus in altum  
Æthera, cum Christo manifesto in lumine lætus  
Vivis, & ex alta mortalia despicias arce.  
At nobis magni causa est obiecta doloris,  
Qui gemimus fido orbati duce & auspice. Quantum  
Funere magne tuo patriæ simul ornamentum,

Præsidium

Præsidium simul creptum est? Quam sæpe requiri  
Sancte Senex operamq; tuam, studiumq; fidele  
Orphana turba, pijs lacrimis testata dolorem?  
Quantum illis desiderium, luctumq; relinquis?  
O te felicem nostram ter & amplius urbem  
Sospite, & o miseram tristi te funere rapto.  
O decus, & patriæ pater optatissime, quantis  
Luctibus immersis ciues, sanctumq; senatum?  
O lacrimosa dies, quantum hæc mutatur ab illo  
Tempore, quo patriam redijsti liber in urbem  
Læticia & plausu communi? Hac luce videntur  
Cuncta tuo miseranda obitu. Stant omnia luctu,  
Omnia tristitia funesta, ac muta dolore  
Omnia, dum funus nigro velamine tectum,  
Et currus, & equos, pullisq; in vestibus omnes  
Ire senatores mæstos longo ordine cernunt.  
O pompam lacrimis decorandam, o funus acerbum  
Et plebi, & patriæ patribus, templisq;, scholisq;.  
Nos igitur flauum qui tecta habitamus ad Albim,  
Auditio te mersum umbris, patriamq; parente  
Orbatani fido, suspiria fundimus imis  
Pectoribus, cineriq; tuo pia carmina mæsti  
Mittimus inferias, nostrum testantia luctum.  
Atq; erit ille dies obitus mihi semper acerbus,  
Semper honoratus vigilato carmine habendus,  
Exiguum in Manes ingentis munus amoris.

C 2 Si

Sitamen hæc Superum fuit, vt fuit, alma voluntas  
Subtractum nostro aspectu te tollere ad astra,  
Consortemq; boni iam regni in parte locare:  
Hanc tibi magne Senex è toto pectore sortem,  
Cœlestemq; statum, ac solennes grator honores,  
Qui nunc colloquio sanctorum, ac munere Vitæ  
Æternæ frueris, iam terræ oblitus amorum.  
Interea superos per vota ardentia mæsti  
Oramus, patria clementi vt numine clades  
Auertant, cultusq; pios tueantur in vrbe.  
Vtq; omnes animis, studijs concordibus omnes  
Vna voce sonent cœlestia verba, Quod ipsum  
Diceris ante tuos obitus Pater optimie votis  
Optasse, hortatus doctos, vt pectore iuncti  
Sincerum pandant nulla formidine Verbum.

Salve anima illustris, quæ nunc compage soluta  
Corporis, aspectu superum sine fine, sine vlla  
Mæsticia frueris, nec respue carmina busto  
Missa tuo, æternum pariter salueq;, valeq;.

D I X I.

IN TVMVLVM D.  
HIERONYMI BOMGART-  
NERI.

**Q**Uod funus? Patriæ Patris. Quæ pompa? Sena-  
Qui gemitus? Plebis. Qui dolor ille? Patrū. (tus.  
Qui luctus? Charitum. Quæ carmina docta? Sororum,  
Vnde odor hic? Pietas mollia thura dedit.  
**B**ustum vnde? Ex viridi terra. Quis struxit? Hone-  
At Dea quæ tumulū mœsta stat ante? Fides. (stas,  
Fortunate lapis, quo non ornatior alter,  
Nam tegis, in patria quicquid honoris erat.

ALIVD.

Non hæc vrna breuis potuit te claudere totum,  
Noriadum tantus qui pater vrbis eras.  
Ergo quid illa tegit? Cineres, & frigida membra,  
Ac deplorati corporis exuias.  
Pars melior viget, vt, quicquid Sol lampade lustrat,  
Dicamus tumulum verius esse tuum.

EPIGRAMMA DE ILLIVS  
OBITV.

Iuppiter vt sanctas leges, & iura tueri  
Viderat hunc tanta dexteritate Senem:

C 3 Sat

Sat fatis patriæq; datum eſt, hoc nobile tantum  
Exemplum ciues deinde sequantur, ait.  
Tu patria ereptus, cœliq; in ſede locatus,  
Accipe iam factis præmia digna tuis.

MONODIA SEV QVERELA VR-  
BIS NORICAE, IN FVNERE D.HIERO-  
NYMI BOMGARTNERI.

O Parcas nimium graues,  
O fati violentiam,  
Menè illo patriæ optimo  
Orbari miseram Patre?  
Extinctus ille,  
Prob dolor, dolor,  
Solutus ille.  
Hoc ciue nobilissimo  
Viuente, vixi florida,  
Istius ob fidem Senis  
Beata dicta ciuitas,  
Sed tum beata,  
Prob dolor, dolor,  
Iam non beata.  
Nam quis de meritis Viri  
Tanti commemoret satis  
Dignè carmine ſplendido,  
Quēis vrbem cumulauerat  
Senator ille,

Prob

*Proh dolor, dolor,  
Dictator ille.*

*Vix candida lanugine  
Iuuenta vestierat genas:  
Cum iussus ad clarissimam  
Se contulit Rempublicam*

*Rector futurus,  
Proh dolor, dolor,  
Pater futurus.*

*Templa hic sordibus abluit.  
Romanos retegens dolos,  
Ac cœlestia ciuibus  
Primus pabula rettulit  
Labore magno,  
Proh dolor, dolor,  
Sudore magno.*

*Per hunc sacratis debitus  
Musis bonos est redditus,  
Illo iuuante è puluere  
Caput extuleri sordidum  
Artes honestæ,  
Proh dolor, dolor,  
Artes decoræ.*

*Idem profuit omnibus  
Sanis consilijs, Simul  
Plebs, docti, viduæ, orphani*

*Hunc*

Hunc restare sibi vnicum  
Patrem ferebant,  
Prob dolor, dolor,  
Patrem colebant.  
Ergo hoc manente sospite,  
Videbar esse ciuitas  
Fuiq; felicissima,  
Hunc optimum spectans Senem,  
Meum leuamen,  
Prob dolor, dolor,  
Meum solamen.  
At nunc funere lugubri  
Erepto hoc mihi, postmodò  
Vrbs dicar miserabilis  
Fido orbata meo patre,  
Acerbo fato,  
Prob dolor, dolor,  
Iniquo fato.  
Namq; hoc iacente concidit  
Meum decus, solatium,  
Laus, fama, gloria, gaudium,  
Patronus, & fidus parens  
Mibi est ereptus,  
Prob dolor, dolor,  
Patriæ est ereptus.  
O funesta crepuscula,

O nox

O nox tristis & aspera,  
Quæ Soles geminos tuo  
Aduentus simul eripis,  
Reuersus alter,  
Prob dolor, dolor,  
Sublatus alter.  
  
Vos ergo ciues optimi  
In veste pulla & lugubri  
Promti tumulo cum lacrimis  
Ab ædibus deducite  
Patriæ columnam,  
Prob dolor, dolor,  
Patriæ parentem.  
  
Vos castæ quoq; virgines,  
Matronæ & venerabiles,  
Passis crinibus, omnibus  
Luætum ostendite funebrem  
Amoris ergo,  
Prob dolor, dolor,  
Pietatis ergo.  
  
Vos templa, vos piæ scholæ,  
Vosq; o sacra numina  
Libethrides mecum Deæ  
Præstare munus ultimum  
Patrono amico,  
Prob dolor, dolor,

D

Fautori

Fautori amico.

Et carmen venerabile  
Huic inscribite marmori :  
Decedens Hieronymus  
Terris, mole sub hac iacet ,  
Senex colendus,  
Prob dolor, dolor,  
Senex amandus.

Corpus sepulchro conditur,  
Sed molis expers Spiritus  
Iam cum Deo cœlestia  
Lætatur inter Numinæ.

Hoc munus esto,  
Prob dolor, dolor,  
Hoc carmen esto,  
Prob dolor, dolor,  
Datum patrono,  
Prob dolor, dolor,  
Datum parenti.

τέλος.

VVITEBERGÆ

Excudebat Petrus Seitz

1566





7f 4600

ULB Halle  
003 299 04X

3



St.

107





## Farbkarte #13

Centimetres	8	7	6	5	4	3	2	1	0								
Inches	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

B.I.G.

Blue	
Cyan	
Green	
Yellow	
Red	
Magenta	
White	
3/Color	
Black	

XXXIX

88

AMEN EPICEDION  
TATVM PVB.  
SCHOLA VVITEBER.  
ELLATO NVNCIO DE  
N. HIERONYMI BOM-  
RI CL. ET IN REP. NORIBERGEN-  
pietate, virtute, sapientia, doctrina  
Patriæq; amantissimi. Qui IIII  
is, Anno Christi M.D.LXV.  
ergæ luctuosissimo ciuitati  
Uniuersæ funere elat-  
tus est.

MMO VIR O, DE PA-  
titis atq; literarum studijs præ-  
merito hoc modo parenta-  
gratus patriæ & pa-  
tri huius ciuis

RGIVS MAVRICIVS  
RIBERGENSIS.

ut & Epitaphia, & Monodia  
ans mortem defuncti, eodem  
Autore.

1566.

Duo lauro a Jm.